



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 2. An & qualis actus Fidei est necessarius necessitate medii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

## DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS. 351

tum ex bonitate infinita, quâ vult revelare res, ut illas cognoscit, nec potest fallere. Quare Fides divina excludit omnem dubitationem, & formidinem, saltem voluntariam. Fides habitualis est habitus per se infusus elicitivus actuum Fidei cum auxilio gratiæ.

*Not.* Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Assensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; imo cum formidine, quâ quis formidat, ne non sit locutus Deus.*

**Q. 2. An, & qualis actus Fidei est necessarius necessitate medii?**

*Not.* 1. Illud est necessarium necessitate medii ad salutem, sine quo salus obtineri nequit, etiamsi illius omissio sit inculpabilis. Illud est necessarium necessitate præcepti, quod est præceptum, & sine quo proinde salus obtineri nequit, si culpabiliter omittatur, saltem nisi hæc omissio per pœnitentiam remittatur. Si tamen sit necessarium hæc sola necessitate, ejus omissio inculpabilis non impedit salutem. Porro quidquid necessarium est necessitate medii, est etiam necessarium necessitate præcepti, si sit in nostra potestate: nam eodem præcepto, quo tenemur procurare nostram salutem, tenemur etiam nobis comparare media ad salutem necessaria. Certum est

au-

autem, habitus Fidei, Spei, & Charitatis esse omnibus, etiam infantibus, necessarios necessitate medii, ex Triden. sess. 6. cap. 7. nam nemo unquam justificatur sine infusione habituum Fidei, Spei, & Charitatis. Sed nullus actus virtutis est infantibus necessarius ad salutem, cum nullius sint capaces, & tamen salvare possint.

*Not. 2.* Aliquid credi potest, vel expressè, hoc est, distinctè, & secundum se, ac proprium conceptum; vel implicitè, id est, non distinctè, nec secundum se, sed confusè, & in alio, in quo continetur; ut cum creditur, quidquid Ecclesia credit, tunc creduntur implicitè omnia dogmata Fidei.

*Resp. I.* Omnibus adultis est necessarium necessitate medii credere explicitè actu supernaturali Deum existere, providere saluti hominum, & justos remunerari vita æternâ, Constat ex Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Nam Deus non vult salvare adultos sine propria eorum cooperatione, quæ non potest sine tali fide salutem procurare. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.*

*Resp. II.* Nunc ab Evangelii promulgatione omnibus adultis necessaria est necessitate medii fides explicita Incarnationis quoad

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS. 353

quoad Divinitatem, Humanitatem, Passionem, Mortem, & Resurrectionem Christi Salvatoris nostri,

Prob. 1. Ex Joan. 17. *Hec est vita æternæ (id est, via assequendæ vitæ æternæ) ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum, & ad Galat. 2. non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi. Et nos in Christo Iesu credimus, ut justificemur ex fide Christi.* ubi Apostolus agit de fide in Iesum Christum, qualem habebat, ac prædicabat, & docentur fideles. At talis fides est fides explicita Christi ut veri Dei, & hominis pro salute hominum mortui, &c. Deinde Fides Christi in sensu proprio id significat; & per fidem Christi plus intelligitur, quam per fidem Dei ut remuneratoris, & saluti humanæ providentis, quæ est fides implicita Christi. Idem docent Patres.

2. Ex Trid. sess. 6. c. 6. ubi exponens ea, quæ ad justificationem credi debent, ait: *Liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt, atque illud imprimis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per Redemtionem, quæ est in Christo Iesu.*

3. Ex S. Aug. l. de Correp. & Grat. c. 7. *A damnatione se non liberabunt, qui diceret poterunt se non audivisse Evangelium Christi. & infra. quicunque ab illa damnatione.*

Tom. I.

Z

353

natione ista divinae gratiae largitate discreti sunt, non est dubium, quod & procuratur eis audiendum Evangelium, & cum audiunt. credunt &c.

4. Quia homines debent nosse viam salutis pro ratione statu, in quo versantur: at Christus est via salutis nostrae, ut ipse testatur. Joan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita.* Et vero non est verisimile Deum voluisse fidem explicitam Christi pro ejus gloria, & salute nostra mortui, & authoris salutis nostrae, & jam ubique publice prædicati, non esse magis necessariam, quam sit cognitio aliarum rerum, a quibus non ita pendet salus nostra; præsertim cum hoc ad honorem Christi conducat.

*Resp.* III. Nunc etiam sic necessaria est fides explicita Ss Trinitatis. Quia 1. Fides Ss. Trinitatis est objectum Fidei nostrae primarium, & fundamentum salutis nostrae: & ideo Baptismus, qui est Sacramentum Fidei, necessario conferri debet in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ex Mat. 28. *Docete omnes gentes Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* At quod est salutis fundamentum, id certe secundum se, & explicite requiritur. 2. Fides explicita Incarnationis non potest esse sine fide explicita Trinitatis; nam (ut ait S. Thom. 2. 2. q. 2. a. 8.) *In Mysterio Incarnationis hoc continetur, quod Filius Dei carnem assumperit,*

rit, quod per gratiam Spiritus Sancti mun-  
dum renovaverit, & quod de Spiritu San-  
cto conceptus fuerit. 3. Ex Symbolo Atha-  
nasii ab Ecclesia usu recepto, & approbato,  
ibi: *Fides Catholica hac est, ut unum De-  
um in Trinitate, & Trinitatem in unita-  
te veneremur, &c...* Sed necessarium est  
ad aeternam salutem, ut *Incarnationem*  
quoque Domini nostri Iesu Christi fideliter  
credat, &c... Hac est fides Catholica,  
quam nisi quisque fideliter, firmiterque cre-  
derit, salvus esse non poterit.

Resp. IV. Necesse est necessitate medii,  
ut adulti credant generatim vera esse om-  
nia, quæ à Deo revelata, & promissa sunt,  
quæque per Ecclesiam credenda proposuit;  
ideoque credant implicitè omnia Fidei  
dogmata. Ex Trid. sess. 6. cap. 6. supra  
cit. Et verò auctoritas Dei revelantis exi-  
git, ut saltem sic generatim credantur om-  
nia, quæ ipse revelavit.

Q. 3. An, & quarum rerum fides expli-  
cita præcepta sit?

Rosp. I. Extat præceptum speciale Fidei.  
Constat 1. ex Marc. 1. *Credite Evangelio,*  
& cap. ult. *Prædicate Evangelium...* qui  
non crediderit, condemnabitur. 2. Quia  
Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Fides*  
*non censetur cadere sub præceptum specia-*  
*le, & secundum se.* Hoc præceptum obli-

Z 2 zat